authore.

R.P. Hanemberg Soc. Jesu

Facile & efficax

MEDIUM

Turbulentos Spiritus compescendi,

Id est:

LITERARIUM

nuper exortum duellum

Inter D. Valent. Ernest. Löscher, Superintendentem Dresnensem, & præcipuum Adversarium ejus penitus componendi

Scenicè, jucundè, atq; etiam nervosè

Latino, Germanico, & simul Polonico Idiomate

Omnibus, cujuscunque Fidei sint, ad salutarem animi recreationem

PROPOSITUM

Per quendam Theologum Polonum.

Annô MDCCXXI.

Videbunt Juſti - & ſu-
per eum ridebunt,
& dicent: Ecce ho-
mo qui non poſuit
DEum adjutorem
ſuum. *Pſal. 51. v. 8. & 9.*

ARGUMENTUM
& occasio præsentis Comædiæ
Unà cum Protestatione pacifica Authoris.

1. Annô nuper elapsô, ubi Serenissima Saxoniæ Electoralis Archi-Ducissa proxima partui adverteretur, conclusum fuerat in Saxonia ut juxta Provinciæ cõsvetudinem, publicis populi orationibus insinuaretur. In quem finem, orandi formula à D. Pipping concinnata, deinde Dresnæ ab Officio publicē approbata, ac tandem in manus D. Löscher Dresnensis Superintendentis tradita est: qui advertens in ea more solito exaratum, *ut DEus Prolem ad Sanctum Baptisma pervenire concedat*, delevit hanc vocem, *Sanctum*, & locò ejus *Balneum* Baptismi substituit: Sicq; corruptum Exemplar typis mandari, & per universam Saxoniam in Concionatores dispergi fecit. Deprehendit postea temeritatem Dresnensis Magistratus & reprehendit. Verùm præfatus D. Superintendens errorem, quem nuper privatim, mox publicè defendere cæpit, temerè & obstina-

tè asserens, se bonâ conscientiâ Baptismum Romano-Catholicum, Sanctum appellare non posse: Suspensus igitur à prædicandi munere: edidit deinde Tractatulum, *Theologicum Literarum Commercium circa denominationem Sancti Baptismatis*, nuncupatum, nimirum septem Epistolas, quibus ridendum aut etiam deflendum potius, quàm seriò oppugnandum errorem suum, neminem scilicet Lutheranorum, præcipuè Theologum, posse salvâ conscientiâ Baptismum Romano-Catholicum vocare Sanctum, stabilire contendit.

2. Principales rationes ejus (præcisis verborum ambagibus, & semoto inani perstrictivarum phrasium apparatu) summa summarum sunt tres: 1. quoniam tempore Baptismi apud Romano-Catholicos, præter aquam & Verba Christi, etiam Cæremoniæ & Ritus humani adhiberi solent. 2. Quoniam assertione tali (inquit ille) Clerum Papisticum & Romanam Ecclesiam reddemus populo odibilem & abominabilem, faciliùsq; ab amplectenda Fide eorum arcebimus. 3. Quasi per Retorsionem: Catholici negant Baptisma nostrū esse validum, (quod tamen evidens est mendacium) Ergo & nos saltem negemus Baptismum Catholicum esse Sanctum.

3. Et

3. Et hæc ſunt præcipua Argumenta quæ Doctorem Löſcher permovere poterant, ut tantas ore & calamo inter ſuos tricas excitaret. Quod etiam præfatum tumultuarium Literarum Commercium ſui re vera cerebelli conceptus & partus ſit, nemo dubitare poteſt, cui omnes circumſtantiæ perſpectæ ſunt; demonſtraturq; ſatis palpabiliter à ſuo Adverſario.

4. Qui nuper Reſcriptum ſimili Idiomate, nimirum Germanico, *Chriſtiana Reflexio ſupra Tractatulum Theologici Literarum Commercii &c.* dictum, in lucem edidit, Lipſiæ An. 1721. impreſſum: eoq; temerarium atque ſimul debilem argumentandi modum, in prædictis D. Löscher Epiſtolis contentum, amplè refutavit.

5. Quoniam tamen veris, etiam plurima admiſcuit falſa, multisq; adverſus Eccleſiam Romanam calumniis, contumeliis, fraudibus atq; mendaciis Opuſculum ſuum indigniſſimè deturpavit; nec recta & ſincera viſus eſt Intentione procedere (ut conſtabit ex dicendis) ideo meretur ut ipſe quoq; in hoc Theatro Scenam agat an potius patiatur. Ignoro quidem Authoris nomen, penſatis nihilominus circumſtantiis colligo, quoddam Lipſienſis Academiæ Membrum eſſe.

Sed quisquis ille sit, *Antisophista* in præsenti Comædia nomen geret: porro Antisophistes talem Sophistam denotat qui alteri Sophistæ adversatur.

6. Et quoniam non intendo motos concitare sed componere fluctus, non exacerbare animos Dissidentium sed salutariter recreare; quin imo hos ipsos conflictantium Tractatulorum Authores, novâ & efficaci industria, usq; ad amænitatem legentium, inter se conciliare; ideo totum opus hoc in forma lepidissimæ Comædiæ exhibeo: maximè cùm Quæstio D. Löscher dubitativa, num scilicet Sacramentum Catholici Baptismatis Sanctum sit appellandum? adeo inepta imprudens atque scandalosa sit, ut ab ipsis Dissidentibus, piarum aurium offensiva judicetur, adductæ etiam ab eodem rationes ita sint debiles ac futiles ut seriam & nervosam Refutationem minimè mereantur. Quanquam non ita jucunditati indulgendum, ut à seriis omnino abstineamus. Nec indignetur quispiam, quòd Ego munus hoc conciliandi Altercantes, susceperim: non enim alium, homines isti merentur mediatorem, nec alia componi industria, qui verum Controversiarum Judicem & Diremptorem respuunt pervicaciter. Quis enim rixarum

finis

finis esset? uterque se jactat Evangelicum: uterque Scripturâ abutitur: uterque libertatem (an potius licentiam) conscientiæ prætendit. Prohibentur scribere, ab Alto: sed adhuc clamant, vociferantur, garriunt, blaterant, gingriunt ore. Prohibentur loqui, ab Alto: sed adhuc nutant capite, machinantur mente, scintillant oculis, strident dentibus, minantur manu, recalcitrant pede. Quo igitur facto opus est?

Inchoatur Comædia.

Præmittitur Cantus: Tantus pro tanta quæsitus fronte galerus, & pro tam bello talis sit virga puello.

ANTIPROLOGUS.

Quæ nuper inter D. Löscher ejusq; Antisophistam acciderunt Prælia, jucundo duorum tumulentorum Duello adumbratur. Quamvis similitudo hæc non in sensu physico sed morali, applicari debeat.

7. Revocatur in memoriam & Scenam, quod non adeo pridem in quodam Regni Poloniæ oppido contigerat. Quidam Biberius, caligantibus oculis, fluentibus buccis, ardentibus genis, fluctuante vestigio in viam publicam emerserat. Nunc vacillabat

greſſus antrorſum, nunc retrorſum titubabat: jam dextrorſum, jam ſiniſtrorſum labebatur. Anima videbatur *balneô* uti in corpore, & ratio abſorberi in ſtomacho. Diſputabat lingua ſpumantibus labris, & vocem Biblia à bibere derivari blaterabat. Oculi adeo confundebantur, ut Eccleſiam proximè ſitam profanum hoſpitale, & in ea Sacrum Baptismatis Fontem, ſimplex *balneum* eſſe ſuſpicaretur. Sic exorbitabat Baccho & faſtu ebrius Helluo, ut nec adſtantium Principum reſpectum haberet, nec minas curaret. Opportunè protunc acciderat, quendam ejusdem farinæ humunculum obviam venire: qui neſcio quid eructans, ebriæ temeritati audacter reſtitit, & bilem movit. Ventum eſt ad prælium: alter in alterius capillitium mutuò involant, huc ſeſe illucvè raptant, nunc præponderant proni, nunc alternis vicibus declinant ſupini, mox emendant æquilibrium &c. Accurrunt quidem ex eadem taberna complures, ſimili Enthuſiasmo madidi, implicatos explicaturi: verùm arcentur ab adſtantibus: quis enim crederet, cæcum à cæco, recto tramite duci, fluctuantem à fluctuante undis eripi; temulentos à tumulentis componi poſſe ad quietem?

8. In-

8. Interim ſtupent omnes, alii ingemiſcunt, alli minantur, alii hortantur. Aſt ubi monita non proficerent, accedit illicò Vir quidam ſobrius & facetus: ego, exclamat, facili negotio litem dirimam: arreptâ igitur utriusque comâ, incipit nunc ſubridente vultu ſvadere concordiam, nunc forti brachio collidere inter ſe arietare quaſſare litigantium capita; donec tot arietationibus fatigati enervati cogerentur manus dare, & pertinaci duello finem imponere. Laudavit univerſus populus mediatoris Ingenium, & duplici applausu coronavit: nimirum quòd arte hac, & turbulentos compoſuerit ad quietem, & ſpectantes ad hilaritatem usque recreaverit.

PROLOGVS.

9. Jam advertiſti fortè Lector & Spectator benevole, in dolio Diogenem, in cortice nucleum, in umbra adumbratum, id eſt ſub temulentiæ ſpecie patùm ſobrium D. Löscher agendi & ſcribendi modum. Vidiſti inter ſpumantia certamina, ad vivum depictam imaginem illius duelli literarii, quod, ſub duplici Tractatulo, partim à D. Löscher, partim à ſuo Antiſophiſta conſcripto, nuper in lucem publicam emergi advertimus.

10. Col-

10. Collige quoque ex jucunda conciliationis methodo, tanquam ex ungue Leonem, ex clava Herculem, ex pollice Gigantem, quæcunque hac in Comædia, per ordinem ad compescendos altercantium motus, exhibituri sumus. Seriò autem & jucundè sequentibus Scenis atque Inductionibus septenarium numerum observabimus, quoniam 7. quoque à D. Löscher editæ sunt Epistolæ, quæ totam nobis porrigunt Dialogizandi materiam. Delectare Amice Lector, & approba pacificum Ingenium, maximè postquam experientiâ didiceris, hujusmodi infestos Spiritus, qui Baptismales Exorcismos contemnunt, posse vel ipso contemptu & ludibrio debellari ac componi ad quietem.

SCENA PRIMA.

11. Egreditur Constantinopolitano passu (ac si colles & valles pro stemmate gereret) in medium D. Valent: Ernst: Löscher, Superintendens Dresnensis: expandit pallium, non sicut in Evangelio legitur: *straverunt vestimenta sua in via*, Mat 21 v. 8. Sed prout olim Jason vela sua, aureum vellus asportaturus. Sustentat brachia, acsi cum fabuloso Atlante Cælum bajulare præsumeret. Attollit caput instar illius celeberrimi

M. Ale-

M. Alexandri Bucephali. Utramque inflat genam, quasi de sublimi Olympo omnem penitus pulverem uno halitu excussurus. Stridet dentibus, ac si Marti ferream tunicam suam discerpere intenderet. Intuetur Cælum, quasi nubibus obducturus. Rubet vultus totus, putares unà cum Ætna ignem vomere. Pennis crepitat, vociferatur ore, censeres gallum gallinaceum canere.

12. O Indignum & abominabile spectaculum! exclamant Spectatores: Doctor Löscher ebrius est, vinolentus est, Baccho plenus est, suspicantur omnes. O Superi! ingemiscunt hi, en ille qui debebat esse librorum, factus est Helluo poculorum. En Patriarcha noster, stupent isti, in eodem fere statu est, in quo olim Noe fuerat proximè post diluvium, cùm de vite gustâsset. Gen: 9. v. 21. En Prophetam, indignantur alii, qui nonnisi de calice, prout olim Joseph (quamvis diverso omnino modo) novit prophetizare. Gen: 44. v. 5. En ille Concionator formam Gallinacei induit, cujus tamen cantus Regem animalium Leonem magis ad indignationem quàm terrorem excitat; non tam lacrymas quàm profusissimos cachinnos in Petro provocat. En ille Löscher cujus nomenclatura extinctorem de-

notat,

notat, magis novit sitim quàm incendia publica extinguere.

13. Parce Spectator humanissime: falleris aliquantum. D. Löscher ebrius quidem est, sed non tam vinô quàm veneno: repletum cerebellum habet, non tam musto quàm muscis. Tumor iste vanitatem in quærendis, quæ apud populum plausibilia sunt, indicat: rubor denotat furorem animi, quod cæteri suæ sententiæ recusent acquiescere.

14. Sic igitur constitutus animô D. Löscher, arripit calamum, & de formula orandi eliminat vocem hanc, *Sanctum Baptisma*, ac in locum ejus substituit *Balneum Baptismi*.

15. Advertit hæc Antisophistes, & illico accurrit in medium: Quid agis fatue? exclamat: Ergonè ista destruis, ista reprobas, quæ aliorum sano Judicio fabricata & approbata sunt? qua fronte Caput Ecclesiæ Saxonicæ, & controversiarum Diremptorem, à cujus sensu reliqui pendeant Prædicantes, te constituis? qua libertate conscientiæ ideo fictitium zelum circa plausibilia coram populo exerces, ut reliquis assentationis & hypocriseos notam inurere valeas? Et si verba possunt æquiparari verberibus, inchoatur Duellum: Alter in alterius capillitium

mo-

moraliter involat. Adeste, Adeste! juvate amici:

Resonat Galli cantus: Sic sic cristati rupere silentia Galli.

Verè bellum Gallinaceum in quo solis cristis & pennis decertatur.

16. Accurro & ego Spectator simulque mediator: & D. Löscher veluti principalem turbinum atq; anilium rixarum motorem sic alloquor: Possem te hodie tuosque motus compescere, tamq; subtilibus caput tuum humō affigere argumentis, ac ille clavus fuerat quem Jahel in caput Sisaræ infixerat, Judic. 4. v. 21. Tantum Rationum pondus in caput tuum devolverem, quod te mole sua magis opprimeret, quàm ille lapis molaris, qui olim cranium fastuosissimi Abimelech contriverat, Judic. 9. v. 53. Sed tanto molimine adversus tantillum capitellum opus non est.

17. Arripio caput tuum eo ferè modo quo Angelus illum Habacuc quem in Babilonem usq; transportaverat, Dani: 14. v. 35. hocq; tot arietationibus collisionibus & ictibus donabo, quot nuper lucem publicam donasti Epistolis, saluraria identidem inculcando monita. Tuum verò Caput D. Antisophista veluti murum singulis arietationibus objiciam: patere & tu quia meruisti,

Nec

Nec te pudeat Scenam talem agere, cum D. Superintendens etiam honori sibi duxerit, Antemurale Lutheranismi videri, ut ipse testaris pag. 26. Nec arbitremini, arietationes hujusmodi, statui vestro omnino disconvenire, siquidem etiam in Bibliis simile quid habetur Dani: 8. v. 6. *Et venit (hircus) usq; ad arietem illum cornutum, & cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suæ.*

Præmittitur Cantus: Est merces talis, fuerat cerevisia qualis. &c.

18. D. Doctor eliminando vocem hanc *Sanctum*, & insolentem ausum pertinaciter defendendo, *imo* exhibuisti *grandem barbariem, inhumanitatem, & tumultuarium Spiritum* adversus ipsam *Serenissimam Majestatem Clementissimum Dominum tuum & meum:* offendisti Principes Catholicos, factus es læsæ Majestatis reus, adeo, ut in omni recto etiam dissidentium Judicio, atrociter plecti promeritus sis. *En accipe imum ictum.*

19. 2*do* Monstrâsti *zelum tuum esse imprudentissimum*, quoniam temerè resolvisti te, etiam cum gravissima *Potestatis* cujus subditus es, offensione, id negare Baptismo Romano Catholico (nimirum Sanctitatem) quod nemo unquam prudens, etiam è vestro gremio, ausus est negare. *En 2dus ictus.*

20. 3*tio*

20. 3tio Demonſtrâſti te eſſe *humuncionem faſtuoſiſſimum ſimulq; vaniſſimum*: intendebas enim tali arte, apud vicinas Diſſidentium Provincias haberi & videri ſciolus, novæ Quæſtionis inventor, novi Schismatis Anteſignanus: apud rudem plebeculam, Antemurale Eccleſiarum Saxonicarum, (ſed quod exſtructum inſtar illius Nidi Hirundinum apud Tobiam: c. 2. v. 11.) vir unus è millibus qui Catholicis etiam Principibus intrepidè reſiſtat: apud tuos æquales, Doctor excellentior. Miris ſanè modis, inſtar illius ferri apud Eliſæum, 4. Reg. 6. v. 6. ſupernatare quæris.

21. Factum tuum evidenter demonſtrat, te ita procedere cum reliquis Saxoniæ Prædicantibus, quemadmodum olim Caiphas cum Scribis & Phariſæis quos adverſus Dominum JEsum congregaverat, exprobrando illis inſcitiam & ignorantiam: *Vos neſcitis quidquam*, Joan. 11. v. 49. quaſi diceret, tantum ſcientiæ in veſtris capitibus reperio, quatum panis in ſupremo caniſtro magiſter piſtorum apud Pharaonem invenerat, Gen: 40. v. 17. *Vos neſcitis quidquam*: de quovis veſtrûm verificari poſſet illud: *Porro Dagon truncus remanſerat*, 1. R. 5. v. 2. Vos vitulo Aaronis non multum diſſimiles: *fecerat vitulum*

tulum conflatilem Exodi 32 v. 4. id est vacuum, sine corde, sine cerebro &c. *Vos nescitis quidquam*. Proinde Judicium vestrum meo subjicite, sententiæ meæ acquiescite: Sin secus, omnes tanquam hypocritas Adulatores & Idiotas coram populo circumferam. *3tius ictus*.

22. *4to*, Manifestâsti *ruditatem, ignorantiam & nimis crassam ingenii tenuitatem*: talibus enim rationibus conaris factum tuum defendere, quæ ima statim fronte, cuivis saltem mediocriter in scientiis versato, apparent esse futiles & ridiculæ, prout mox palpabiliter videbimus.

23. D. Doctor, arbitraris te plus aliis sapere, & angulos domûs sapientiæ penitiùs introspicere: verùm ex scriptis tuis colligimus, quod longam quidam vaginam portes, gladium verò admodum brevem. Multum quidem vales loqui & blaterare instar illius asinæ cui Baalam Ariolus insederat, sed & facile cum eadem cespitare: Num: 22. v. 27. 29. Jactas caput te habere aureum, sed re vera tale cui multum congruit galerus similis illi, quo Rachel aurea Patris sui Idola contexerat, Gen. 31. v. 34. *4tus ictus*.

23. *5to* Vide D. Löscher *num sis vir tui nominis*, extingvere debebas impietatem, tu

tu verò extinxisti *Sanctitatem*, *& Christianam simul charitatem.* Vide & intellige, te re vera esse unam ex illis Virginum inprudentum lampadibus, *lampades nostræ extingvuntur*, Mat. 25. v. 8. quoniam defecit apud te oleum sapientiæ, pacis & charitatis, *5tus ictus.*

24. *6to Perturbasti facto tuo quietem publicam*, excitâsti non leve incendium tam inter confratres tuos, quam inter vos & Catholicos: valebisnè Löscher talia extinguere? En dux caper ipse gregis præbe mihi caput tuum durissimum & accipe *6tum ictū.*

25. D. Doctor moræ & ictuum inpatiens, retorquet adversum me supercilium sicut olim Asina contra ferientem Baalam, Nū: 22. v. 28. expandit buccam instar illius piscis qui Tobiam devoraturus credebatur, Tob. 6. v. 2. circumflectit caput in omnes partes, & viam elabendi manibus meis, tentat qua arte potest. Sed rogo expecta paulisper Domine Doctor, adhuc 7timus restat ictus, quo tuarum Epistolarum catalogo satisfiat.

26. *7timo*, præfato agendi modo *teipsum enormiter deturpâsti*, imo in cænosum barathrum, vertice tenus præcipitâsti: sed quomodo ex hoc fætido balneo enatabis? Debebas oculatior finem respicere, & exactiùs

perpendere quod facilior in putridam paludem ſit ingreſſus, quàm egreſſus.

27. Imaginor mihi D. Lôscher, nimis curiosè in Baptismate Romano - Catholico quærentem maculas, inſtar illius Aſtrologi, qui nocturno tempore per plateam deambulans, ſudumq; Cælum exſtatico pænè intuitu contemplans, cæpit intra ſe diſcurrere: en novam in luna ſuſpicio maculam: Leo cæleſtis, ut video, dextro pede claudicat: ecce amphoræ fundum excidit: jam tandem cæleſte vehiculum amiſsâ rotâ etiam temonem fregit &c. his mentis evagationibus immerſus poſtquam aliquantum proceſſiſſet, ecce ſubitò fallente veſtigio, incidit in plenam fæcibus lacunam, ita ut maſſa putrida, mole corporis primùm divisa, mox deinde ſupra caput ejus complicaretur. Vix oculi è fætidiſſimo balneo emerſerant, en advertit hominem temeritatem ſuam ventilantem in hæc verba: *Stulte altiora te ne quæſieris.* Eccle. 3. v. 22.

28. D. Doctor attende & intellige, te quoq; in ſimile balneum incidiſſe, poſtquam altiſſima Fidei Catholicæ myſteria nequiter taxando, auſus es etiam Sacroſancto Baptiſmati maculam appingere. *Et hic ſit 7timus ictus.*

29. An-

29. Antisophistes vix non in rabiem agitur, quod parietem agere, totq; ictuum & arietationum particeps fieri cogatur. Sed condona D. Doctor, non enim sine causa pateris.

Et hic interstrepit cantus :

Participem culpæ, pœnæ fas esse sodalem:
Qui cum cornuto temerè gerit ariete Bella,
mutua, pro palma, vulnera fronte refert.

30. Rectè quidem egisti, quòd nuper edito in lucem opusculo, restiteris aliquomodo saltem ad speciem ausibus D. Löscher: *sed adverto imò*, id te non studiô & animô veritatis manifestandæ ac promovendæ charitatis fecisse (prout inferius luculenter patebit) verùm longè alia intentione: imo ex *invidia*, cùm innotesceret tibi, temerarium D. Löscher ausum, reportare plausum apud rudiorem plebeculam: ex *vindicta*, quoniam D. Löscher Prædicantes sibi dissentientes, adulatores & hypocritas appellaverat: ex *spiritu æmulationis & superbiæ*, ne quis putaret D. Löscher plus aliis sapere: ut videre est in edito Tractatulo pag. 26. & alibi toties. 2do *ex timore & dolosa astutia*, dum enim metueres Divini Verbi gladium ex utraq; parte acutum, & stylum scribendi longè efficaciorem, quem Romano-Catholici

Theologi adversùs hujusmodi ineptias & errores, fortissimè stringere solent; ut tempestivè tales ictus à tuis Asseclis averteres, maluisti aliquali lucubratiuncula factum & scriptum D. Löscher ad speciem refellere, & hac arte fervorem Catholicorum quodammodo eludere. Fateris id ipsum in Præfatione ad Lectorem pag. 2. 3. Item pag. 22. 27. & 28.

31. *Adverto 2do*, quòd insolens factum D. Löscher quodammodo interpretativè approbare videaris, solamq; Epistolarum ejus evulgationem reprehendere. Colligitur id exinde, quoniam ad principale Quæsitum pag. 18. propositum, utrum scilicet D. Superintendens Dresnensis rectè egerit, mutando orandi formã & locò, *Sanctum Baptisma*, balneum Baptismatis substituendo? Tergiversaris respõdere directè, dicens: *circa hoc sententiam iis ferendam relinquo ad quos spectat:* & subjungit: *ego à circumstantiis sui facti consultò abstraho, ne fortè afflictionem ejus adaugeam.*

32. Item ex pag. 17. ubi ad objectionem istam respondes n. 3. *Non est quæstio utrum quis hac in parte potuerit quò ad se sic procedere (quamvis etiam talis facti reddenda esset ratio) sed utrum is per hujusmodi procedendi modum, possit insuper aliis regulam & mensuram*

ram

ram statuere. Simile quid habetur ibidem n. 2.

33. Sed satis interim jucunditatis habuimus: recedite jam ab invicem. Recedunt: & stupore pleni intuentur Mediatorem, quemadmodum vaccæ Portam Civitatis, quam ingressuræ sunt, stupentes intueri solent. Habetisnè quid in contra dicere? quæro: D. Löscher incipit cum magno strepitu purgare nares, quasi naso loqui vellet: Antisophistes mulcet barbam, quasi hac cauda vulpinâ conscientiam suam emũdare intenderet. Sed tacete interim: erit tempus loquendi. Claudatur Proscenium.

SCENA SECUNDA.

34. D. Löscher sedet ad mensam, digito fronti appositô, totus melancholicus. Quid rogo indigitat? indicat tot reperiri muscas in capite suo, quot olim tempore Pharaonis in Ægypto Exodi 8. v. 21. 24. Circumcirca plurima & quasi in gyrum dispersa atq; explicata, jacent folia & volumina. Illo ferè modo quo Domina sua Doctorissa indusia, strophia, mantilia reliquamq; sordidam telam lotricibus tradendam, humi dispergere atq; disponere consvevit. Explicat Tomos, integra evolvit volumina, quærit sollicitè.

Quid quærit? quærit rationes effugia quibus factum suum excusare & errorem stabilire valeat: easq; quærit cum majori anxietate quàm olim Saul asinas sui Patris 1. Reg. c. 9. v 3. & 4. Quærit cum majori sollicitudine quâm Laban sua Idola, Gen: c. 31. v. 33. Meditatur, speculatur, ruminatur & ruminat, legit & relegit, scribit, limat: ô quantis D. Löscher obrutus est negotiis!

Et hic auditur vox de nubibus: *Conceperunt laborem & pepererunt iniquitatem.* Isaiæ c. 59. v. 4.

Cantus: Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

35. Verbô, scribit 7. Epistolas typis mandandas, quibus factum suum defendere, alisq; persvadere conatur, Baptismum Romano-Catholicum non debere dici Sanctum: talia sibi in persona alterius objiciens, ad quæ responsionem licèt futilem, in promptu se habere judicabat.

Interim illabitur vox ex antro:

Desuda Doctor, tibi styx mercede paratur,
Tartara pro studiis præmia justa dabunt.

36. Innotescunt hæc suo Antisophistæ, qui typis editô Rescriptô, plenus zelo an potiùs furore accurrit. Renovatur pristina duellandi forma. Vespertilionum more denuo implicantur capillitiis. Reassumo & ego

ego eandem conciliandi Industriam. Domini Doctores, Capri-Platones, iterum iterumque caprizanda, arietanda quassanda sunt vestra capitolia.

37. D. Löscher memor adhuc præcedentis Scenæ, retrahit caput, Comædiam continuare excusat. Ut quid frustra tergiversaris! nemo te manibus meis eripiet. Intuetur me velut halitu afflatum speculum: roderet dentibus, ni debiles forent: percuteret pugno, si tantum roboris haberet quantum ille Leo qui Prophetam in via percusserat, 3. Reg. 13. v. 24. Sed frustra D. Doctor:

Vana est sine viribus ira.

Hoc omnino modo, vestræ tricæ componi, & spectatorum animi jucundissime mulceri debent.

38. Adhuc qua arte potest reluctatur Doctor. Palpitat prout olim piscis ante pedes Tobiæ, Tob. 6. v. 4. utraq; manu & pede tremulus, trepidat, ac si Dresnæ in Parochiali Ecclesia organa pulsaret: vertiginem patitur quasi Lipsiensi Turri globum impositurus: continuò excreat, putares tubam venatoriam inflare. Jam incurvat os, quasi S latinum formaturus: forsitan dicere vult Sanctum Baptisma: jam contrahit & acu-

minat labia, quasi calamum ad nescio quid novi scribendum, temperaturus: jam expandit buccam, quasi Hebraicè locuturus: fortè ita prout in prima Epistola sua Græcè, ubi homo vanissimus vocem hanc, *Baptisma*, semel & altera vice græcis literis (quãvis id satis commodè fieri potuisset Latinis aut Germanicis) merè ad sui ostentationem expresserat.

39. Sed faciamus Insultus. Imò D. Doctor, talem posuisti Epistolarum tuarum titulum: *Theologicum Literarum Commercium circa denominationem Sancti Baptismatis.* Si præcisè de voce disputas, cur non posuisti, Grammaticale literarum commercium? Non possum satis demirari vanitatem & arrogantiam tuam: scripsisti exiguum opusculum, in quo præter inanes verborum ambages, aliquot nugatoriæ, futiles, & rudissimæ continentur ratiunculæ, ab homine obvio, qui nec primis labris Theologiam unquam gustaverat, facillimè solubiles (ut inferiùs demonstrabitur) & nihilominus Theologicum appellas, ut rudibus videaris esse Theologus. Si effutire aliquid non ad rem de Sacramentis, esset Theologicè discurrere, tunc toties gregarii milites disputarent Theologicè, quoties insolenter clamant: *potz tausend Sa-*

Sacrament. D. Doctor, non omnis qui ob-longum cultrum portat, cocus est; non omnis qui vestimentum viride induit, venator est; non omnis qui canit, alauda est; nec omnis qui jactat Theologiam Theologus & re vera Doctor est. *En, habes 1mam plagam.*

40. *2do:* Si tales ridiculi discursus apud vos Theologici appellantur, præbetur toti Orbi fundamentum, tuam tuorumq; Universam Theologiam toto ore & corde deridendi.

41. Et hìc prodit in medium ex una parte Democritus, ex altera Heraclitus: ille cum fistula, iste cum Cythara: ille effusissimè usque ad ruptionem ventris cachinnatur; iste lamentabiliter, ferè ad effusionem oculorum lacrymatur. Quid ridet ille? quid plorat iste? Ille ridet quòd D. Löscher nugatorium scriptum suum, seq; Theologum jactet. Iste plorat quod Viri seculares, inter quos tam Digni tam eruditi reperiuntur, conscientiam & Animæ suæ salutem tali Doctori dirigendam permittant. *2da plaga.*

42. *3tio:* Proposuisti D. Doctor in 1ma Epistola talem Quæstionem: *Utrum quis salvâ conscientia Baptismum Romano-Catholicum Sanctum vocare possit?* Domine Löscher qui genus tuum ignoraret, simulq;

in tali materia dubium insolitum & insolens moveri adverteret, de qua nemo prudens in Christianitate dubitat; arbitraretur te ex Insula Nova Zembla dicta oriundum, in Grönlandia educatum, in Lapponia studia absolvisse, ubi exigua de Baptismo Christianorum habetur notitia. *3tia plaga.*

43. *4to:* D. Doctor relinque Quæstionem hanc, utpote tuo cerebello minimè proportionatam: potiùs mihi solve quas tibi propono: D. Doctor quare asinus demittit aures dum pluviosa instant tempora? Responde. Quæ ratio, quòd pulices acerbissimè mordere soleant, quando Cælum pluit? Responde. Num ita se res habeat, & quare infans terrefieri nequeat, quando frustellum de cute asinina cunis imponitur? Responde Domine Doctor. Quare radii solares indurant lutum, picem autem emolliunt? Responde. Quare sambucus, si radatur deorsum, & abrasum introsumatur, stomachum laxat, si verò sursùm, vomitus provocat? Responde. Doctor sedet in sambuco, totus stupidus factus miratur. En si in talibus nugis experiris difficultatem, cur præsumis de Divinis mysteriis & Sacramentis frivolè & insolenter blaterare? *4ta plaga.*

44. *5to:* Statuis in prædicta Epistola prima

ma pro clypeo tui erroris Grammaticam; vocem hanc *Sanctus* ad triplicem sensum detorques: imo sumis eam *physicè*, à verbo sancio, ita ut idem significet ac circumdatum absconditum aut inaccessibile, dicisq; hoc præcisè sensu Montem Sinai appellari in Scriptura Sanctū. O Doctor, re vera debueras prædictam supremam scholam paulò diutiùs frequentare: si hoc verum est, tunc uxor tua quoties eam amplecteris esset Sancta: circumdatum enim & Sanctum juxta te idem sunt. Utiq; terra in qua Moyses stabat, non erat circumdata inaccessibilis, & tamen dicebatur Sancta: *Locus in quo stas terra Sancta est*, Exodi 3. v. 5. *5ta plaga.*

45. *6to*, Blateras Sanctum sumi 2do *politicè*, & affers exempla talia pag. 6. dicens: *hoc sensu Magistratus, muri, lictores, Sancti dicuntur, eodem sensu Romanum Imperium, Majestatem Supremæ nostræ Potestatis, Sanctam germanico Idiomate vocamus.* O insanum caput! perpende quæ scripsisti: ergonè hi omnes unà cum lictoribus ad idem Sanctitatis genus revocandi? cui tu comparare audes unctum Domini? Doctor, hìc meritus es ictum adeo vehementem, ut capitellum veluti pila de pariete resultet. *6ta plaga.*

46. *7timo.* Vis Sanctitatem 3tio sumi

Theo-

Theologicè, pro Sanctitate revelata: utiq; etiam Mons Sinai revelatur in Scriptura, fuisse Sanctus. Sed quid ex hac Grammaticali divisione infers? Fortè intendis, Sacramentum Baptismi nostri revocare ad imum aut idum genus Sanctitatis. Imaginor mihi D. Löscher stantem in vestibulo linguarum, sollicitè januam quærere ad Lingvam Latinam: palpat nunc antrorsum nunc retrorsum; auscultat nunc sursum nunc deorsum; attrectat nunc dextrorsum nunc sinistrorsum; nequit tamen invenire Januam, qua egrediatur aut ad rem ingrediatur, omnino prout olim obcæcati illi Sodomitæ qui Januam Domûs Loth nequaquam assequi valebant. Gen. 19. v. 11. Et hæc sit *7tima plaga*: habes interim satis.

47. Accede etiam tu paulò propius D. Antisophista: expedit ut etiam tibi soli aliquot vehementiores plagas impertiar, cùm id Rescripto nuper editô abundè promerueris. Tu quidem ad hæc amarissimè incipis obliquare buccam, prout olim pueri Prophetarum, clamantes: *Mors in olla*, 4. Reg. 4. v. 40. sed quid faciendum, omnino gustare & concoquere debes quæ à te malè cocta sunt. Quemadmodum enim illi Prophetarum pueri irreflexè & temerè bonas simul & malas

malas, dulces & amaras collegerant, collectasque coxerant herbas, ita & Tu quibusdam veris & bonis, quibus errorem D. Löscher refutas, admiſcuiſti plurima falsa venenosa & amariſſima. Proinde guſta mixturam tuam, expande contrahe, explica complica buccam, & exclama: Mors in olla.

Et hic concentus resonat: Quòd cocus exactè propriam non calleat artem, inſulſæ caules miſtaq; piſa probant.

48. In Præfatione ad Lectorem proteſtaris imo & profiteris, *Eccleſiam Romanam Catholicam in multis gravioribus & animarum ſaluti valde pernicioſis punctis errare.* O mendaciſſime Calumniator, quàm ſeriò te hodie plagarem, ſi intentionis meæ foret, hìc & nunc ſpectatorum gaudia triſtiori ſpectaculo interrumpere. Tu in calumniandi & mentiendi adverſus Eccleſiam Romanam licentia, omnino Judæos imitatis, qui adverſus Dominum JEsum tempore Paſſionis ejus, multa in communi evomuerant: dum autem juberentur probare! & ad teſtimonia in particulari deſcendere: *Ecce teſtimonia non erant convenientia,* Marci c. 14. v. 56.

49. Doctor, monſtrâſti te eſſe de ſtirpe illorum Exploratorum quos Moyſes in terram promiſſam expediverat: hi lurcones,

neglectô officio scrutandi penitius Regionem, fortè interea apud nescio quod scortum commorati, tandem redeunt, utq; suos à terra lacte & melle fluente, seriò inquirenda absterrerent, miris figmentis Regionem illam deformant: *Terra quam lustravimus* (inquiunt) *devorat habitatores suos.* Num: c. 13. v. 33. *vidimus monstra de genere Giganteo &c.* v. 34. Postquam verò spretis hujusmodi minis & terroribus ingressi sunt Terram Israëlitæ, didicerunt quàm turpiter mentiti fuerint Exploratores.

50. Eadem omnino arte, Tu tibiq; similes mira adversus Romanam Catholicam Ecclesiam mentiri soletis, ut populum ab hac terra lacte & melle fluente absterreatis: quicunq; tamen spretis vestris calumniis penitius Res introspiciunt, nostramq; amplectun- Religionem, evidenter advertunt, quàm nequiter olim fuerint à vobis decepti.

51. Quanquam, ut video, Antisophistes dum hæc scriberet, debebat per Opticam, omnia inverso modo repræsentantem, Ecclesiam Catholicam inspicere, & ideo putat, homines apud nos non pedibus sed capite incedere. Aut certè suis Phantasmatibus ebrius fuerat: Sicut enim ebrius, universam domum circa se gyrari arbitratur, ita ipse

se

ſe omnia in Eccleſia Romana ſurſum deorſum volutari: verùm hoc accidit, non objecti ſed corrupti cerebri vitio: Eccleſia Romana firmiter ſtat, ſtabitq; immobiliter, ſolum verò calumniatoris cerebellum vertigines patitur. Adverte Domine Doctor, veſtras cæremonias noſtris omnino contraponi: apud nos homines juxta piam & antiquiſſimam conſuetudinem ſolent proceſſionaliter circa Eccleſiam gyros facere; apud vos verò Eccleſia videtur circumcirca capita gyrari.

52. *2do* multa mentiris in eadem præfatione de Dominandi apud Clerum Romanum Poteſtate adverſus Reges & Principes. Sed audi Domine Claudi, quæ tibi hac de re inculcabo: *1mo*, Reges & Principes optimè norunt ſeipſos defendere, non opus habent ut blatero talis cauſam eorum ſuſcipiat. *2do*, Principes Eccleſiaſticos grandem apud nos Authoritatem & Poteſtatem habere ne mireris, ſi enim id DEus conceſſerat Eccleſiæ ſuæ in veteri Lege (ut videre eſt in Aarone, Samuele, Elia, Eliſæo &c.) à fortiori in Nova. *3tio*, num ignoras Clerum Romano-Catholicum conflatum eſſe ex primis Principibus ipſoq; Cæſarum & Regum ſanguine? mi bone Antiſophiſta forſan non es peregrinatus unquam, ideoq; arbitraris ubi-

que

que solùm è tripode sutoria aut sella sartoria ad statum spiritualem adoptari: falleris: egredere aliquantùm de cognatione tua, proficiscere in Catholicorum Provincias, & disces, aliud de Authoritate Cleri Romano-Catholici formare judicium. 4*to* Quis unquam etiam è primis Ecclesiasticorum Principibus, ausus est tam contumeliosis & contemptivis scriptis ac dictis publicè afficere Principes seculares, quantis eos frequenter injuriari solent nonnulli insolentiores ministelli? publicos insuper concitando in plebe tumultus & rebelliones adversus hæreditarios Dominos suos: Innumeris id comprobârem tibi exemplis, iisq; ex vestrorum Authorum lucubrationibus collect s, ni præsens scribendi methodus alò avocaret. Jam quæro, quid tolerabilius esse poterit Principibus secularibus? Principumnè Spiritualium Authoritatem in Ecclesia Catholica, modo proportionatô observare? an verò inter Dissidentes, gravissimas persæpè injurias, à vilissimo etiam Prædicantio illatas, concoquere? Et si Regnorum Annales evolvere recusas, saltem revoca in memoriam nupernum ausum unius Doctorelli Löscher &c

53. 3*tio* in prædicta præfatione tua contumeliis & mendaciis afficis Jurisdictionem

Ro;

Romanæ Ecclesiæ in conscientias hominum, dicens : *dum quis in Ecclesia Romano Catholica ad abnegandam veritatem , & amplectendum aliquem errorem induci aut ad hypocrisin pertrahi nequit , etiam in corpus sævitur &c. Et tali modo , Martyres quos primis tribus sæculis Ethnicorum furor procreaverat , multitudini eorum quos Papatus apud se Martyriô afficit, vix comparari possunt.* En mendacem fallacem pervicacem homunculum ! O mendacissimum Crocodolinum genus, quantum mentiris lacrymis ! O nequam homuncio, quomodo rudiorem populum decipis, ut à Fide Catholica absterreas !

53. En nequissime Antisophista, luculenter adverto, tantum veritatis & sinceritatis in te reperiri, quantum lardi in culina Judæorum. Sed in hoc saltem, veraciter mecum procede : indica mihi quisnam sis ?

Respon: Ego sum Sartor : ita est, sed non nisi talis, qui novit infamem centonem alteri assuere.

Respon: Ego sum Pictor : ita est, sed talis qui præcisè valet hominibus oculos illinere.

Respō: Ego sum Auriga : ita est, sed talis qui semper â recto tramite deflectit.

Respon: Ego ſum Cocus: ita eſt, ſed talis qui fercula non condit ſale.

Tandem reſpondet, ut puto, ſinceriùs: Ego ſum Evangelicus Doctor: ita eſt, quia tu cooperis nudos, ſed ſolam veritatem: tu nutris eſurientes, ſed ſolis verbis mendacibus.

54. D. Antiſophiſta, habeo aliquid dicere: en ictus quibus te plagavi oblitus ſum numerare: puto tamen Dominationi tuæ ſolutionem juſtitialem factam eſſe: Si quid autem ſolvendum reſtat, ſequentibus Scenis abunde compenſabitur. Interim, ne fortè continuæ arietationes tædium aliquod pariant Amæniſſimo Spectatori, Scenam mutabimus. *Claudatur Proſcenium.*

SCENA TERTIA.

55. Ad arma, ad arma, ad arma: Tara, Tarara, Tararatantara. Quid hæc ſignificant? Bella virumq; cano. Et hoc quid denotat? Ecce comparet D. Löscher ſub forma Pennipotentis Paleſtritæ, vulgò Federfechter. Capite criſtam jactat inſtar galli gallinacei. Pectus à Domina Doctoriſſa pulvinari quaſi lorica inſtructum, putares Leopardum prodire in medium. Manu ſiniſtra clypeum ſtramineum, dextrâ ferrum

quod-

quoddam rubiginosum gerit, sitnè mucro an veru, verè discernere nequeo. Eheu! timete populi! quàm terribilis surrexit ætate nostra duellator: Totus in armis pusillus Doctor, prout olim nimius ille Goliath 1. Reg. 17. v. 23. Quamvis autem comparatio videatur esse nimia, in hoc tamen omnimoda quòd, sicut olim Philisthæus, ita & iste Philologus fronti & capiti non satis providerit.

56. Dum insolens spectaculum, nunc profundissimè admiror, nunc effusissimè rideo, En contrahit frontem, rugas multiplicat instar Doctoralis colobii, & acerbissimo vultu (acsi pyrorum sylvestrium liquore ebrius foret) siste gradum, in certamen te hodie provoco, exclamat.

57. Malè sane quid audes? quid tentas? quid moliris? Itanè facilè memoriâ & sensibus exciderunt tot ictus plagæ, atq; arietationes, quibus te non adeo pridem affeceram & vix non confeceram? Homunculus spem totam in armis suis collocat. Sed quæ sunt arma ista? Arma quibus lepidê indutum vidisti Spectator Benevole, denotant in sensu morali argumenta principaliora in 7. ejus Epistolis contentá adversus Sanctitatem Baptismi Romano-Catholici. Clypeus stramineus significat primum & principale fun-

 damen,

damentum, quo intendit factum & errorem suum contegere, atq; tueri, nimirum quoniam in Baptismate Catholico multæ reperiuntur cæremoniæ & ritus humani. Crista indicat rationem alteram an potius fraudulentissimum astum denigrandi tali modo Fidem Catholicam apud suos, ut sic faciliùs ab ea amplectenda absterreantur. Rubiginosus mucro denotat mendaciis plenam retorquendi formam: Catholici nostrum Baptismum negant esse validum, Ergo & nos dicamus illorum non esse Sanctum. Tandem in pulvinaria lorica conscientiæ libertas collocatur.

58. His itaq; lacessitus, provocatus, & quasi coactus egredior in arenam, & cristatum audaculum sic ante omnia alloquor: tam acutis & nervosis te hodie instrumentis compescerem, qualis fuerat gladius, quo Petrus Malcho auriculam amputaverat, Joan. 18. v. 10. Sed necesse est ut aures ad plura adhuc audienda, integras retineas. Ita cor tuum argumentis ex tribus propositionibus conflatis perstringerem, sicut olim Joab rebellem Absalonem, dum è quercu penderet, 2. Reg. c. 18. v. 9. & 14. (quanquam etiam tu nuper suspensus es, utinam id factum fuisset non solùm moraliter) verùm necesse est, ut

ad-

adhuc valeas ad cor redire, juxta illud: *Mementote & confundamini, redite prævaricatores ad cor*, Isaiæ c. 46. v. 8. Tanta opprimerem te mole, quantus fuerat ille lapis ſepulchralis, Marci c. 16. v. 4. *erat quippe magnus.*

59. Sed quoniam intentionis meæ non eſt, te penitus conterere, cùm non omnino deſperem, mentem tuam aliquando ad ſaniores ſenſus redituram; ideo ſolùm arripio mandibulam aſininam, id eſt tua propria & principalia argumenta, quibus conatus es Sanctitatem Baptiſmo Romano-Catholico adimere, & hac de aliquantum, ad ſalutarem Spectatoris jucunditatem, utinam etiam ad emendationem tuam, plagabo.

60. Epiſtolâ 3. pag. 10. & ſequentibus primum & principale propoſuiſti fundamentũ, ratione cujus Baptiſmum Catholicum non vis appellare Sanctum, nimirum *quòd præter aquam & verba Chriſti, plures ibidem reperiantur cæremoniæ & ritus humani.* Sed audi Domine Claudi: non agitur in præſenti de cæremoniis, ſed de Baptiſmo, tu verò non ſolùm cæremonias, ſed etiam ipſum Baptiſmum blateras non eſſe Sanctum. Reſpondet ibidem: *Sed hæc omnia ſunt Baptiſmus & partes eſſentiales apud Catholicos.* Mentiris in caput Domine Doctor: Eſſentia Ba-

ptiſmi

ptismi in illis solùm consistit quæ Christus ipse instituit: materia ejus & forma sunt Aqua & Verba Christi, ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Cæremoniæ verò & ritus solùm adhibentur ad excitandam pietatem, & promovendam Sacramenti reverentiam in adstantibus: ideoq; in gravi repentinæ mortis periculo, infans omissis omnibus cæremoniis baptizari solet: talisq; Baptismus omnino habetur pro valido, nec iterari debet. Vide Doctor, quàm evidenter deprehensus sis in mendacio.

Cantus: Blanditur quamvis caudâ, ne fide molosso;
Nec parvo, magnis caligis cui fæmora turgent:
Doctori præstanda Fides &c.

Experire itaq; rodentem mandibulam tuam asinam, & accipe *imam plagam*.

61. D. Löscher clypeo suo stramineo adhuc se tuetur quantum valet, & præfata Epist. 3. p. 11. conatur suis persvadere, ritus & cæremonias omnino haberi à Catholicis, pro partibus essentialibus Baptismi, sic argumentando: *Concilium Tridentinum anathematizat illos quicunq; approbatos & usitatos ab Ecclesia Ritus contemnunt, omittunt, mutant &c. Ergo (infert ille) Ritus isti debent esse partes Baptismi.*

62. O

62. O ridiculam consequentiam! Apud Lutheranos severè prohibitum est, ne quis cum expleto eodem die, ventre ad communionem accedat, Ergo id ipsum est pars suæ communionis. Priusquam ad Cænam quis accedat, tenetur nummum pænitentiarium vulgo Beichtpfenning exsolvere, Ergo nummus iste est pars substantialis suæ Cænæ aut Confessionis.

63. Domine Doctor, sicnè Theoligicè discurritur? Inclina dorsum ad *alteram plagam*, & diligenter ausculta quæ auri tuæ insusurrabo: certum quidem est, illum qui Ritus ab Universali Ecclesia adhiberi solitos, contemneret atq; pro libitu mutaret aut omitteret, graviter peccaturum, adeoq; anathema incursurum, juxta illud, Mat:18.v.17. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*: nihilominus etiam talis validè susciperet Baptismum: & ideo neminem ex Lutheranis aut Calvinianis ad Gremium Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ redeuntibns, rebaptizare solemus.

64. Sed Doctor cristatus adhuc habet quod reponat: Ta-ta-ta-men-men: Edisse-re fabulam. *Tamen* (inquit ille) *nequit saltem in genere dici Sanctus Baptismus propter adjunctas cæremonias.* Doctor, hæc vox *in*

genere ineptè adducitur in tuis Scriptis: manifestas te nequidem terminos Theologiæ aut Philosophiæ intelligere. Sed quidquid sit: quæro, putasnè cæremoniam adimere posse Baptismo Sanctitatem, quam ex Sanguine Christi habet? Doctor, quæro ex te, Baptismus Catholicorum estnè validus, vel non? Si dicis, non esse validum, Ergo Patriarcha vester Lutherus (utpote ritu Catholico Baptizatus) non fuerat validè baptizatus, consequenter nec Christianus. Si verò vis esse validum, Ergo est Christi Baptismus, quomodo igitur non Sanctus?

65. Doctor, etiam vos ritus humanos adhibere soletis in vestro Baptismo, ut sunt Patrini, impositio nominis, solutio pecuniaria facta Ministro (quam cæremoniam Sacrosanctè observatis) Ergo apud vos Baptismus non est Sanctus. Doctor, amphora vinô plena, quem tempore Cænæ in Altari statuere soles, certissimè non est Sancta, cùm domi tuæ frequenter insignem crapulam ex eadem haurire solitus sis: & tamen vis Cænam ipsam esse Sanctam. *En habes 3tiam plagam.*

66. Pennipotens Palestrita noster aperit os, veluti pennas ipsas & plumas vomiturus. Ed stere: *Sed, sed,* (reponit) *cæremoniæ Catholi-*

tholicorum sunt superstitiosæ. Ita vos blaterare consuevistis coram rudibus, sed quomodo id probabitis? Non possum satis demirari cæcitatem & malitiam: tales consvetudines & ritus humanos, unde emolumentum aliquod pecuniarium proficisci potest, sacrosanctè observant, ut sunt e. c. sacculus cum tintinnabulo tempore Concionis resonans, nummi post Confessionem exsolvendi, oblationes Patrinorum tempore Baptismi pecuniariæ &c. &c. illas verò antiquissimas Universalis Ecclesiæ consuetudines & cæremonias, quæ unicè ad Fidelium ædificationem, pietatem, ac majorem Sacramentorum venerationem ordinatæ sunt, iniquissimè respuunt, & superstitionis calumniâ ad deceptionem populi, infamant. *4ta plaga.*

67. Libenter tamen scirem Domine Doctor, ex quonam fundamento, Catholicorũ cæremonias recuses appellare Sanctas, adeo pertinaciter ut potiùs eas superstitionis scommate afficias? Quid sunt Catholicorum Cæremoniæ? Doctor nescit, non intelligit, & tamen blaterat. Certum & evidens est Cæremonias Catholicorum *primò* & principaliter consistere in Orationibus Ecclesiæ quibus DEus colitur & adoratur: quis Christianus Orationem negabit esse Sanctam?

ctam? *Secundò* etiam in adhibitione quarundam rerum, e. c. aquæ, olei, vestimentorum &c. sed etiam talia, dum ad Cultum DEI adhibentur, posse dici Sancta, constat ex innumeris Scripturis, v.g. Num: c. 5. v. 17. *Assumetq; aquam Sanctam in vase fictili, & pauxillum terræ de pavimento Tabernaculi mittet in eam.* Et Exodi 30. v. 25. *Faciesq; unctionis oleum Sanctum, ungventum compositum opere ungventarii.* Et Exodi c. 29. v. 29. *Vestem autem Sanctam habebunt Filii ejus post eum*: &c. &c. *5ta plaga.*

68. D. Löscher in hoc Duello adeo incipit cespitare, ut videatur jam jam tota mole pronus in terram collapsurus. Putat, juxta Catholicos bona opera Baptizantis requiri ad válorem Baptismi, quoniam docemus, Baptismum, prout & reliqua Sacramenta, conferre Gratiam ex opere operato. E. C Epist: 3. p. 12. argumentatur in hæc verba: *Ergo Spiritus S. Sanguis Christi, Christus, totaq; Sancta Trinitas & omnes Res Cælestes, nihil prosunt in Baptismo, si sufficit opus operatum, quo Sacramenta Gratiam DEI consequuntur.* &c.

69 En Idiotam, qui nec prima Theologiæ & Fidei Catholicæ rudimenta intelligit. Putas, (ut toto discursu colligitnr) nomine

operis

operis operati intelligi quæcunq; bona opera Administrantis Sacramentum : erras Doctor, talia enim *opera operantis* in Theologia nuncupantur ; nomine autem *operis operati* in Baptismo, intelligitur ablutio aquæ, præpræfatum DEI Verbum, unà cum Sanguine & Meritis Christi. Intuere mandibulam tuam asininam, & accipe *6tam plagam.*

70. 2dum fundamentum (3tium autem & reliqua minutiora sequentibus Scenis perpendemus) quo permotus est D. Löscher Baptismo Romano - Catholico negare Sanctitatem, affertur Epistola 7. pag. 19. ubi in hunc sensum loquitur : *Per hoc pulchram nugam aut maculam appingemus Romano-Catholico Clero, quòd scilicet sub vana Sanctitatis specie conscientias decipere & rudiores ad Fidem suam pertrahere soleant.* Et pag. 22. *Per hanc denominationem, Sanctum Baptisma, posset quis cogitationem in favorem Romanæ Ecclesiæ concipere.* Et hoc vocat *speciem scandali.* Item pag. 23. *Aliàs multis occasionem præberem vacillandi in Fide sua, redderemq; Catholicam Religionem plausibilem atq; favorabilem.* Verbô, qui rem bene considerat, advertet evidenter, hominem istum intricatis phrasibus suis, re vera hoc intendere: *Etiam falsò, per mendacium & calumniam denigre-*

nigremus deturpemus, quantum possumus Ecclesiam Romano-Catholicam, ut populus noster faciliùs ab eadem absterreatur atq; in odio Religionis Catholicæ perseveret.

71. O malè svade Doctor! licetnè ita graviter decipere populum Christi Sangvine redemptum? Et hæc est ars infernalis, in quam locò Theologiæ diu noctuq; indefessè incumbis: Sic consuevisti homines in omni quoq; alia Fidei materia decipere. Pro tanta malitia rodet te non solùm asini, verùm etiam ipsius Infernalis Draconis mandibula. Interim tamen, quoniam in hoc certamine totus collapsus es in terram, 7*timum*, & quidem vehementissimum paulo infra dorsum, infligo plagam, adeo ut strepitus per Orbem resonet:

Echo. Nec parvo, magnis caligis cui fæmora turgent, Doctori præstanda fides &c.

72. Diligenter præterea perpende, quæ auri tuæ insinuata relinquo. En Principalia erroris tui fundamenta, evacuata sunt sicut illæ imprudentum Virginum lampades, Mat: 25. v.8. aruerunt sicut hedera Jonæ c.4. v.7. fracta sunt sicut lagena figuli, Isa: 30. v. 14. marcuerunt sicut folia ficulneæ Marci c. 11. v. 21. sicut mulus Absalonis pertransierunt, 2. R. 18. v. 9. teq; nuper suspensum, hodie

verò

verò in arena collapsum reliquerunt. Itaq; etiam mandibulam tuam asininam in dorso tuo relinquo, Vale. Doctor inclinat vultum ita suaviter prout scabellum S. Michaëlis

SCENA QVARTA.

73. Vir quidam Domum redux assidet mensæ. Interim caniculus ejus multùm gratiosus, fidelisq; rei domesticæ custos, miris incipit gestire tripudis, instar illius apud Tobiam, qui *blandimento suæ caudæ gaudebat*, c. 11. v. 9. Hinc inde, huc illuc circumcursat, moxq; blandiendo in sinum Domini sui iteratis vicibus exultat. Laudat, mulcet, inescat caninam humanitatem Dominus. Quod advertens, proximè adstans auritum quoddam Arcadium animal, & existimans se quoq; simili modo gratiam promereri posse, siminino spiritu concitum, erigit anteriorem corporis molem, & utroq; pede, excusso galero & capillitio, brachia Domini sui amplectitur. Exhorruit ad tam barbaram insolentiam Dominus, & apprehensa arundine ineptissimum Imitatorem reprehendit, identidem inculcans : *non omnibus apta* &c.

Non nemo hìc subridet inquiens, jam prævideo quò collimet Scena ista.

74. D. Löscher Epist. 5. & 7. per retorsionem

nem (ut vocat, quamvis re vera talis modus discurrendi, non tam Retorsio quàm potiùs Argumentum à pari aut à fortiori dici soleat) conatur errorem suum defendere, dicens: *Iesuita Scherer cum aliis Catholicis Theologis docet, Baptismum apud nos collatum esse invalidum; Ergo etiam per retorsionem poterimus dicere, Baptismum Catholicorum saltem non esse Sanctum.* D. Doctor, ego quidem comparare te præfato Arcadio animali non intendo, ne fortè videar nimis inhumaniter tecum procedere: nihilominus fateri debeo, hanc tuam consequentiam, *sic ille fecit, Ergo & ego facere possum similiter*, non multum discrepare à prædicto Arcadio procedendi modo. Imitatio hæc æq; tibi congruit, ac simiis calceamenta induentibus, dum advertunt similia ab hominibus fieri. Retorsio tua instituitur ad normam anilium altercationum in foro piscatorio: Margaretha flava bili exardescens exprobrat Agneti, tu scortum, tu prostibulum, &c. mox Agnes retorquet argumentum, & quæ nuper ex concione, ni fallor D. Löscher didicerat, expeditè refundit, tu altera Rahab, Josue c. 2 v. 1 tu nova Thamar, 2. Reg. c. 13. v. 20.

75. Consequentia tua etiam Scripturâ adumbratur, Exod. c. 14. v. 27. Israelitæ li-

berum

berum passum & siccum iter per mare rubrum habebant: quod advertens malitiosus & obstinatus Pharao, cæpit sic, quasi per retorsionem argumentari: Israelitæ poterant per medium maris sicco pede transire, Ergo & ego potero: sed incidit in balneum. Domine Löscher utiq; Doctor es, facilè tibimet ipsi applicationem formare poteris: Sede in balneo tuo, lavetur tibi caput, & præterea ausculta quid intonetur.

Cantus: Ne Æthiopem munda, nam frustrà perditur unda.

76. Et jam satis cribravimus tuæ Retorsionis consequentiam. Antecedens autem est palmare mendacium: nullibi enim irrestrictè docet Jesuita Scherer Baptismum vestrum esse invalidum, sed solùm dicit, tunc, & ab illo Prædicante collatum fore invalidum, qui sicut docet non requiri Intentionem seu Voluntatem Baptizandi in Ministro, ita etiam re vera eam omitteret. Et hæc Doctrina est omnino certa, ut mox videbimus.

77. Reponit D. Löscher Epist: 5. pag. 16. *vel exinde colligi posse, quòd Catholici Baptismum Lutheranorum doceant esse invalidum: quamvis enim videri velint non rebaptizare nostros ad se transeuntes, tamen ea quæ in prio-*

ri Baptiſmo omiſſa ſunt ſuperaddere ſolent, vel ut vocant, confirmare. Domine Doctor evidenter video, te eò notitiæ rerum Catholicarum perveniſſe, ut omnino nihil ſcias. Ita intimè penetraſti in Doctrinæ & Conſuetudinis Catholicæ Sacrarium, prout olim imprudentes Virgines ad nuptias : *Clauſa eſt janua.* Mat. 25. v. 10. Continua docet experientia, hæc quæ blateras, eſſe falſa: quod autem de Confirmatione ſubjungis, non intelligis : Confirmationis enim Sacramentum diverſum eſt à Baptismo, & ab Epiſcopis conferri ſolet, etiam ritu Catholico Baptizatis.

78. Dum hæc ſeria tractamus, accurrit Antisophiſtes, incipitq; modo Concionatoriô Spiritualia quædam monita de charitate Doctori Löscher inculcare, dicens pag. 12. *Non debemus conformari Ieſuitæ Scherer & malum pro malo refundere, hoc argumeutum non eſt Theologicum, non eſt Chriſtianum &c.* En virum plenum Spiritu, ſed nequam? hortatur Doctorem Löscher ad Chriſtianam pietatem tali loquendi forma quæ mendáciſſimum de Jesuita Scherer ſuppoſitum confirmare videatur.

79. Sed quis te Miniſtellorum miſerrimè, monitorem Doctoris Löscher conſtituit? Ut

video,

Video ; omnia ius deq; apud vos abierunt ; vulpecula monet vulpem ; pullus vult videri ſagacior gallinâ ; caper mordet lupum ; Antisophiſtes ſpiritualia monita Superintendenti inſuſurrat : & quod mirabilius eſt , *cæcus cæcum ducit*, Mat. c. 15. v. 14.

80. Sed brevi vos conciliabo : Saltabit uterq; cæcus per lacunam ; & poſtquam in hoc balneum ambo incideritis , alter alterum amplectetur, & ſalva erunt omnia.

81. Ex Scriptis utriusq; colligo, utrumq; in eodem graviſſimo & ſaluti animarum perniciosiſſimo errore obcæcatum verſari, nimirum , *Intentionem baptizandi in Miniſtro non requiri ad valorem Baptismi.* Sic expreſsè profitetur D. Löscher pag. 16. *Nos ſtatuimus , nullam omnino Intentionem neceſſariam eſſe in noſtris Sacramentis.* Antisophiſtes autem in Reſponſione ad Objectionem 13tiam ita blaterat : *Si dum agitur de Sanctitate Baptismi , penſanda eſſet Perſona baptizans, tunc triumpharent Donatiſtæ & Bapiſtæ &c. qui tantum Intentioni baptizantis deferunt* &c. Quo loco miſcet quadrata rotundis, Sanctitatem Miniſtri cum Intentione : porro Eccleſia Catholica non docet Sanctitatem Miniſtri ſed ſolùm Intentionem Miniſtri requiri ad valorem Baptismi.

82. En Doctores! ductores, utroq; oculo orbati, vultisnè veritatem intueri? volumus, respondent. Bene est, sed ante omnia orandum, non sicut consvevistis, Domine ut videar, verùm cum illo cæco Evangelico: *Domine ut videam*, Lucæ c. 18 v. 35. Intentio non est vox Arabica, sed Latina, idemque significat in præsenti quòd voluntas verè baptizandi, seu voluntas faciendi hoc quod Christus instituit, aut quod Christus voluit in talibus circumstantiis fieri, aut *saltem* faciendi quod facit Ecclesia, aut Christiani in talibus circumstantiis facere solent. Jam, Christus Dominus ita instituit Sacramenta, ut voluerit reqviri talem voluntatem seu Intentionem Ministri. Unde hoc? Ex Scriptura S. quia Scriptura indicat quòd v. g. Baptizans Baptizando debeat id facere ut Minister Christi, adeoque in Persona & Nomine Christi, ut habetur 1. ad Cor: c. 4. v. 1. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi & Dispensatores Mysteriorum ejus.* Et 2. ad Cor. c. 2. v. 10. *Nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos, in Persona Christi, ut non circumveniamur à Sathana, non enim ignoramus cognitiones ejus.* Hoc supposito, lumen rectæ rationis dictat, neminem agere aliquid ut Ministrum alterius, in Persona & nomine alte-

alterius, nisi saltem aliquomodo velit seu intendat facere quod alter voluit nomine sui fieri. Satisnè ad illuminationem?

83. Fortè cæci nondum vident, cuperent adhuc lavari in Natatoria Siloeê, Joan: c. 9. v. 7. Natatoria hæc fortassis jam non existit in rerum natura: verùm aliud vobis balneum comparabo. Saltabitis, ut promisimus num: 80. per lacunam, seu foveam aquâ refertam, & quoniam cæcus cæcum ducit, ut constat ex dictis num: 78. prævideo, utrumque in foveam casurum, juxta illud, Mat: c. 15. v. 14 *Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* In hoc itaq; balneo, oculos vobis & caput lavabo.

84. D. Löscher objicio tibi casum: poterat contingere, quòd immediatè post prandium, cùm distractionis gratiâ legeres aliquod Rituale, ancilla vitrum aquæ ad lavandas manus, mensæ imponeret: jam, legendo illa verba, Ego te baptizo in nomine Patris &c. casu deturbâsti aquam in ancillam, aut etiam jocô in faciem ejus effudisti. Quæro rebaptizastinè ancillam tuam? utique protunc adfuerant, ablutio aquæ & verborum pronuntiatio. Quid defuit? nihil nisi intentio baptizandi. En jam sedet D. Löscher in balneo: lavetur ipsi caput.

85. D. Antisophista etiam tibi per eandem lacunam saltandum est. Poterat contingere, quòd Uxor tua habens fortè piam consuetudinem dicendi in actionibus suis, Ego hoc facio in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. protunc in balneo infantem suum è sordibus ablueret. Jam quæro, verène tunc baptizavit, an non? si baptizavit, Ergo filius tuus spectat ad Anababtistas: si non, quid defuit? nihil nisi intentio seu voluntas Sacramentaliter abluendi, id est, baptizandi. En & iste cæcus sedet in fovea veluti balneo, lavetur ipsi caput.

86. Sed adhuc tibi D. Löscher habeo aliquid dicere: En, dolio fundum excidit: ruptæ sunt fides in lyra tua: perforati sunt folles: confracta sunt vasa fictilia: defluxit torrens: decidit folium: exaruit gramen: ensis rubigine consumptus est. Summa summarum, omnia tua argumenta evanuerunt.

Adverto Spectatorem tædium & nauseam quandam concipere ex tam longa istorum duorum hominum præsentia: proinde Scena aliquantum immutanda est.

SCENA QVINTA.

87. Altissimum indicitur silentium: omnis

luci

luci intercluditur aditus, totumque Theatrum atra caligine perfunditur. Umbras ipsas Scenâ hac artificiosè illuminabimus, an potiùs revelabimus. Comparebunt 7. larvæ infernales seu Dæmonia, (juxta numerum Epistolarum D. Löscher) totque malignos Spiritus in utroque Doctore latere demonstrabimus. Simile quid legitur in Scriptura: *Assumit alios 7. Spiritus nequiores &c.* Mat: 12. v. 45. Lucerna Magica erit ars & sagacitas Impietatem & pravas animi intentiones, è splendidis verborum involucris, detersô fictitii zeli colore, & excusâ falsæ pietatis larvâ, explicandi omnibusque revelandi. Lumen, Intellectus & recta consequentia. Pro vitreis simulacris & Iconibus quibus umbra spargenda, excerpta quædam de utriusque Doctoris Scriptis adhibebimus.

Cantus: Ut spolient, veniunt non semper nocte latrones:
Angelus esse solet lucis, & ipse latro.

88. *Inductio 1ma.* Iconem lucernæ meæ insinuo. En quàm terribilis relucet in pariete umbra: Ignivomus Spiritus, superbiæ inventor, omniumque fastuosorum Antesignanus *Lucifer*, aut verius Luciper. Nunc serpit instar Hydræ spirantis septèm faucibus ignem: nunc progreditur instar superbissi-

mi Leonis: nunc erigitur instar tumidissimi Gigantis. Quid hæc significant? Quod simulacrum tam horrificum spectrum peperit?

89. Simulacrum hoc est Factum & Scriptum D. Löscher, nec non sui Antisophistæ. Eliminavit D. Löscher de Orandi Formula verba hæc, *Sanctum Baptisma*, suumque errorem edito in Lucem scripto defēdere conatus: quo Spiritu? Spiritu superbiæ & ambitionis: uideri enim & haberi à populo volebat, veluti sagacior, zelosior, audentior, & resolutior omnibus reliquis Saxoniæ Prædicantibus, Lutheranismi adversus Catholicos Propugnator, ideoque alios hypocritas, Adulatores appellabat. 2do videri volebat apud vicinos Dissidentes, novæ Quæstionis Author & Examinator, novæ Sectæ & Schismatis Coryphæus: Sic enim loquitur Epist: 1. pag. 4. *Nemo adhuc quæstionem de Sanctitate Baptismi Romano-Catholici plenè discussit & ad calcem perduxit.*

90. Eodem omnino Superbiæ & Invidiæ Spiritu Rescriptum à suo Antisophista fabricatum est: qui e.c. pag. 26. sic loquitur: *D. Löscher intendit videri Antemurale adversus Papatum: tantamque sibi in cæteros usurpat Authoritatem, quanta nulli Evangelico*

Theo-

Theologo competit. Et pag. 27. *Agnoſcat ſe errare poſſe, & toties jam in tot Controverſiis errâſſe.* Et pag. 25. *D. Löscher non cenſuram quærit, ſed potius ſuæ opinonis ſectatores.* Hic exclamat Iſaias Propheta: *Quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris,* c. 14. v. 12. *Detracta eſt ad Inferos ſuperbia tua.* v. 11.

Cantus: A fato Phaeton ſecurior, Icarus, altum à caſu immunis, ni petiiſſet, erat.

91. *Inductio 2da.* Aliud ſimulacrum lucernæ meæ inſinuo: Et ecce, inſtar fulminis promicat inter umbras ſeditioſiſſimum ſpectrum *Abdon* dictum, cujus muneris eſt, tumultus & rebelliones adverſus Principes Poteſtatesque legitimas, excitare, ideoque Apoc: 9 tumultuarius Spiritus appellatur. Nigerrimus, inſtar Æthiopis, caballo inſidet: lingua è faucibus in terram usque pendula: ad latus tympanum cum inſcriptione *Larm allarm.*

92. Quid iſta denotant? Qui advertere deſiderat undenam proficiſcatur Diabolus iſte, bene perpendat ex una parte auſum D. Löscher circa orandi formulam: ex altera verò parte quomodo omnes ſuos hortetur in fine Epiſtolæ 7. pag. 24. *ne ſequantur veſtigia Ioſaphat, juxta illud* 2. *Paralip.* 20.

20. *v.* 35. & 2. *Paralip.* 19. *v.* 2. ubi dissimulato textu ipso præcisè caput & versum citavit. Porro 1ma citatio ita sonat: *Post hæc iniit Amicitiam Iosaphat cum Ochozia Rege Israël cujus opera fuerant impiissima.* 2da autem sic: *Cui occurrit Iehu filius Hanani videns, & ait ad eum, Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris.* Nec omnino dissimilem videtur præseferre spiritum Antisophistes: revocetur in memoriam quod num. 31. & 32. diximus.

Hic Scriptura intonat: *Et versi in seditionem dixerunt: quare nos fecisti ascendere de Ægypto.* Num. c. 20. v. 3. & 5.

93. *Inductio 3tia.* Applico 3tium simulacrum: & ecce depingitur umbra illius impuri dæmonis *Asmodæi*, cujus munus est homines in viam latam pertrahere, ad licentiam, dissolutionem, omneque scelerum genus aditum aperire. Personam Vectoris exhibet, longum in dextera verber gerit; sedet in prægrandi plaustro, (putaret quis Lipsiensem currum mercimoniis onustum progredi) solos vehit juvenes & juvenculas, tenentes phialas & tibias in manibus: omnes exultant, vociferantur, Jo! quis libertati conscientiæ nostræ obicem ponat? Jo! *nullum sit pratum quod non pertranseat luxu-*

ria

via nostra, Sapi: c. 2. v. 8. Hotta, Hotta. incipit clamare auriga: quid hoc? En, reponit ille, flecto paulisper habenas, plaustrum hoc in gyrum acturus. Sed quis locus adeo amplus? conscientia D. Löscher & sui Antisophistæ.

Hic resonat vox de nubibus:

Lata porta & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Mat: 7. v. 13.

Et via quæ videtur homini recta & novissima ejus ducunt ad mortem, Proverb: c. 16. v. 25.

94. Sed unde (mirantur omnes) vector iste proficiscitur? Ex licentia conscientiæ utriusque Doctoris, quem sub specioso Libertatis conscientiæ titulo maximè in Scriptis suis promovent. D. Löscher Epist. 7. pag. 21. ait: *Cur non permittendum liberæ Ecclesiæ (& libertati conscientiæ qua gaudemus) saltem titulum Sancti negare Baptismo.* Et Epist. 3. p. 11. *Unica solùm via est ad perditionem, nimirum Infidelitas seu non credere.* Et pag. 13. *Baptismi fœdus certificare nos debet de adipiscenda salute æterna* &c.

95. Ejusdem Spiritûs est Antisophistes: e. c. pag. 13. hallucinatur: *Quicunque inter illos, (Catholicos) libertatem suæ conscientiæ*

quærit & per hoc ipsum, verum se esse membrum Ecclesiæ Christi demonstrat, eum mox à se relegant opprimunt & persequuntur Papistæ. Et in fine sui Scripti pag. 29. hortatur Catholicos *ut omnibus Heterodoxis apud se degentibus conscientiæ libertatem (quam ipse Christus permisit) permittere velint.*

96. Quid autem, rogo, sub specioso libertatis conscientiæ titulo adeo sollicitè promovere intendunt? Errorem nefandum, errorem quo insaniorem vix Orbis habuit, errorem qui ad omnem impietatem licentiam & libidinem viam aperit: nimirum, licere cuivis credere, docere, adeoque & facere quod sibi placet & videtur: nec cuipiam molestiam fieri debere, ut de via iniquitatis & perditionis in tramitem salutis reducatur, si libertatem conscientiæ prætendat. Infero: Ergo nullæ blasphemiæ, perjuria, adulteria, impudicitiæ, nulla denique scelera punienda sed omnia toleranda, ne fortè libertati conscientiæ injuria fiat.

97. Respondet Antisophistes ad objectionem 1omam pag. 14. *Libertas hæc conscientiæ non simpliciter & absque sufficienti limitatione distinctione sumenda.* Sed quam rogo affers distinctionem & limitationem? fortè vis, Libertatem conscientiæ patrocinari solùm

per

per ordinem ad hæc quæ saluti Animarum officere possent, non tamen etiam ad illa, quæ bonis corporis vel fortunæ aut humano commercio? O insanum caput! *Nonnè Anima plus est quam esca?* Mat. c. 6. v. 25. Aut fortè vis, patrocinari solùm in materia Fidei, ita ut liceat cuivis credere quod vult, docere quod vult, decipere in rebus Fidei populum quomodo vult, seminare errores quos vult, calumniis contumeliis mendaciis, quibus vult, Ecclesiam Catholicam afficere, modo prætendat, ita dictare sibi conscientiam? En novum Quakierıstam: en talem re vera insaniam homines isti ita strenuè promovent sub specioso libertatis conscientiæ & Fidei vocabulo. Quod genus hominum? quæ per Orbem terrarum secta talia unquam permiserat? Quàm indignissimè tractatur Fides primum salutis fundamentum, dum circa illam, conscientiæ licentiâ cuivis patrocinari permittitur, quamvis id circa alias actiones, ob metum secularium Judicum non permittatur.

Et hìc omnes alloquitur S. Petrus Epist: 2. c. 2. à versu 17. *Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reservatur. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt*

in

in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur, Libertatem illis promittentes, cùm ipsi servi sint corruptionis.

Cantus: Si liceat quodcunque libet, claudatur Olympus,
Sola sub Infernum semita laxa libet.

Quid est licentia, quam D. Löscher cum suo Antisophista Christianam conscientiæ libertatem appellant?

Resp: *Cantu*: Mons secura nimis, quid sit, vis discere? sylva est,
cujus alit pecudes tristior umbra feras.
Est vel cæca specus furvis habitanda chelydris,
trux exambit herus, quam coluisse, draco.

98. *Inductio 4ta.* Exhibetur inter umbras 4tum dæmonium, nimirum malitiosissimus ille spiritus, *Beelzebub* dictus, speciem induit prægrandis serpentis; scintillat oculis; stridet dentibus; aculeum velut lanceam unà cum flammis continuò evomit; caudam circumquaque volutat. Sed quæ caverna Monstrum hoc venenosissimum in lucem publicam protulit?

99. Evolve Spectator D. Löscher nuper editas Epistolas, & advertes plus quàm viperinam malitiam; *imo* adversus Serenissimum Re-

Regem Dominum suum, Romanum Imperium, omnesque Principes Catholicos: Epistola enim 1. pag. 6. iniquissimè eos comparat, ut videre est superiùs num: 45. Epist. autem 7. tales adducit Scripturæ textus, quibus odium eorum excitare conatur in populo. Videatur num: 92.

100. *2do* adversus Catholicos in universum: Epist. enim 7. pag. 19. *vocat inimicos Crucis Christi.* pag. 22. inquit: *per denominationem hanc, Sanctum Baptisma, posset quis favorabilem pro parte Romano-Catholicæ Ecclesiæ cogitationem concipere* &c. & ideo negat, etiam Sacramentum Baptismi esse Sanctum.

101. *3tio* adversus populi æternam salutem: merè enim ex spiritu contradictionis & malitiæ, quòd adverterit Concil. Tridentinum exigere ad valorem Sacramenti Intentionem *saltem* faciendi quod facit Ecclesia, profitetur Epist: 5, *Se omnem penitus Intentionem rejicere:* (in quo errore etiam Antisophistam deprehendimus reprehendimusquè à num: 81.) adeoque exponit omnes quoscunque Baptizat, periculo frustrationis Sacramenti & æternæ damnationis. Ex Epistola 7tima apertè colligitur, se ideo nolle Baptismum Catholicorum nominare Sanctum

ctum

ctum, ut sui horrorem ac detestationem Catholicæ Ecclesiæ concipiant: & quod inde sequitur, ut nequidem inquirant veritatem & salutis tramitem.

102. Idem infernalis spiritus in Antisophistæ Rescripto satis manifestè relucet: e. c. pag. 3. postquam plurima adversus Romanam Ecclesiam palmaria mendacia evomuisset, subjungit: *qui hæc bene considerat, impossibile est, ut inclinationem quandam aut propensionem in Romanam Catholicam Ecclesiam habere possit, sed potius sibi gratuletur, quod longè ab eadem remotus sit.*

Hìc exclamat Sapiens: *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subito peccatis*, Sapi: c. 1. v. 4.

Cantus: Se magis ille ferit; qui aliis dare vulnera quærit,
ut quatiendo, petram frangitur unda, maris.

103. *Inductio 5ta.* Sed revelemus adhuc plura quæ videbantur esse abscondita. En titubans egreditur umbra, stultissimus ille, mente & oculis obfuscatus Diabolus, *Bohemoth* dictus, qui aliàs cæcitatem spiritualem, inter homines, vanas suspiciones, judicia temeraria, sinistras etiam optimarum actionum inter-

interpretationes, dissemmare consuevit: Comparet sub forma deformissimæ vetulæ: reptat Scipioni innixus, vultu & capite terram versus defluente: dorsum habet prægrandi gibbo, nasum verò perspicilliis molochinis ephippiatum.

104. Partem monstri deponam & totum revelabo monstrum: ignorantiam scilicet, cæcitatem & insipientiam D. Löscher suiq; Antisophistæ, & exinde emanans judicium temerarium de actionibus & consuetudinibus Catholicorum, Epist.3. pag.2. Idiota, non percipiens terminos Theologicos, putat nomine *Operis operati*, in Sacramentis, item Intentionis Ministri, intelligi apud Catholicos opera bona virtutum: item benedictionem campanarum haberi pro Sacramento Baptismi: & ideo temerarium subjungit Judicium, inferendo, *Ergo Spiritus S. Christus, Sangvis Christi, totaque Sancta Trinitas non prosunt ullatenus in Sacramentis* &c. Et Epist: 1. pag. 7. Non intelligens finem, intentionem, significationem cæremoniarum Catholicarum ipsasq; Cæremonias, judicat temerè & contumeliosè dicens: *multò minùs possumus hoc (* nimirum cæremonias Catholicorum *) per quod læduntur DEI Præcepta, votare Sanctum.* Idem omnino spiritus

tus videri poteſt in Reſponſis Antiſophiſtæ.

105. Re vera duo in utroque Bohemotano Doctore ſuſpicio, & oculos obfuſcatos in capite, & perſpicillia molochina in naso: hinc fit, omne lucidum videri ſibi tenebroſum; omne candidum, molochinum; omne pium & ſanctum, impium & profanum. Nocturni iſti bubones, ligna ſua putrida ſplendere arbitrantur, ſolem verò deſtitutum eſſe lumine exiſtimant. Dulces ſibi videntur Ægyptiorum cepæ, Manna amariſſimum.

106. Vos de noſtris Ritibus ita judicatis, prout olim Iscariotes de illa Magdalenæ cæremonia, dum pretioſum oleum fracto alabaſtro in Caput Chriſti effunderet, Marci c. 14. v. 3. Judas putabat opus hoc eſſe vanum fruſtraneum inutile: vos verò omnino ſuperſtitionis notâ affeciſſetis: Secus Chriſtus, judicat, dicens, Bonum opus operata eſt. v. 6. Advertitis devotiones, affectus, provolutiones in genua & faciem, apud Catholicos, & judicatis ebriæ aut inſanæ mentis indicia eſſe, prout olim in judicio ſuo deliraverat Heli, videns Annam Samuelis Matrem affectuosè orantem, 1. Reg. c. 1, v. 14. Proceſſiones aliasque pias conſuetudines ridetis, contemnitis ſicut olim tumida illa

Mi-

Michol, Davidis tripudia circa Arcam Domini, 2.Reg. c.6. v.16. Verbo, *quæ ignorant blasphemant*, Judæ, v. 10. Sinistrè interpretantur, atq; in pravum sensum detorquent: imitantur Judæos, Mat:27. v.46. qui advertentes Christum Dominum in Cruce exclamare, Eli, Eli &c. reposuerunt Eliam vocat. Sed quæ horum omnium radix & causa est? Ignorantia, mentis cæcitas, & perversi Judicii perspicillia.

En clamat Sapiens: *Hæc cogitaverunt & erraverunt, excæcavit enim illos malitia eorum.* Sapi: c.2. v.21.

Cantus: Integer ut cæco tenebrosus creditur orbis,
Ut male cuncta videt bona quamvis, palpebra languens,
Sic quosvis reprobos judicat, ipse malus.

Idem delicti reprehensor & author. *Ovidius.*

107. *Inductio 6ta.* Sextum applico simulacrum, & ascendit quidem umbra, sed admodum obscura. Quid videtis? Respondent omnes, videmus Diabolum nomine *Astaroth*, qui est spiritus mendacium, falsorum, graviterq; homines decipientium Doctorum. Ita sane: rem acu tetigistis. Sed sub qua specie comparet? Respondent alii: quasi Ursus. O non sic terribilis est. Alii reponunt; quasi Elephas. Hoc multum,

Alii: quasi Agnus. Hoc parum. Inspicitè paulò exactiùs: en adumbratur veluti Lupus sub pelle ovina juxta illud: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.* Mat: c. 7. v. 15. Sed & hoc mirandum quòd nasum enormiter longum gerat.

108. Umbra hæc, mendacia, fraudes, contumelias sub specioso verborum involucro, contentas in utriusque Authoris scripto, denotat. D. Löscher mentitur, Catholicos docere absolute, Baptismum Lutheranorum esse invalidum; ad se conversos quoad aliquas partes substantiales rebaptizare; Cæremenias & Ritus, item Characterem Indulgentias & opera bona baptizantis habere pro partibus essentialibus Baptismi &c. &c. vide Epistolam ejus, 3. 5. & 7.

109. Antisophistes mentitur in genere, plurimos & saluti Animarum valde noxios reperiri in Ecclesia Catholica errores; plures dari hæreticos Martyres in Papatu interfectos pro Fide, quam primis tribus seculis tempore Paganismi. &c. &c. vide plura pag. 2. 3. 16. 28. non enim, ut referantur, digna sunt.

Hìc intonat Propheta David: *Mendaces Filii hominum in stateris*, Psal. 61. v. 10.

Ego

Ego utrumque Doctorem impono huic statera, & subscribo:

THECEL.

Quod interpretatur, Inventus es minus habens, Dan. 5. v. 27.

Cantus: Externo, ingenium fateor tibi more politum:
Cretenses, disco, te coluisse plagas.

110, *Inductio 7tima.* Tandem septimus Diabolus sub umbris promicat, & complet numerum Epistolarum D. Löscher; estque spiritus ille melancholicus, qui *Leviathan* appellatur. Figuram exhibet macilenti & ossa renudantis Caballi, qui totus meditabundus saccum avenæ, proximè positum continuò intuetur.

111. Umbram hanc peperit clausula Epistolæ septimæ D. Löscher, quæ ita sonat: *Eousque in meditationibus meis perveni.* En D. Löscher meditatur: sed ita prout Isaiæ c. 59. v. 11. legimus: *Rugiemus quasi ursi, & quasi columbæ meditantes gememus.* Doctor Löscher meditatur, sed sicut illi: *Non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis, super triticum & vinum ruminabant.* Oseæ c. 7. v. 14.

112. Quid meditaris D. Doctor? fortè me-

meditaris avenam. Sed avena ſubtrahenda eſſet, equus enim iſte nimis inſolenter etiam Domino ſuo recalcitrat. Quid meditaris? fortè illud Pſal: 2. v. 1. *Meditati ſunt inania.* An illud? Pſal. 89. v. 9. *Sicut aranea meditabuntur:* nimirum quomodo alios illaqueare valeas. Quid meditaris D. Doctor? fortè illud Prover: 17. v. 19. *Qui meditatur diſcordias, diligit rixas, & qui exaltat os ſuum quærit ruinam.* Eousque fortè perveniſti in meditationibus tuis, quò olim Saul, dum ſpiritu melancholico obſideretur, 1. Reg. 18. v. 11. transfoderes monitores tuos ſi poſſes. Sed brevi arripiam citharam & hilariores ſenſus excitabo.

113. D. Löscher, viſis tot tantisque ſpectris exterritus, in terram labitur, graviſſimè langvere incipit. O utinam tales tricas nunquam excitâſſem! exclamat: deteſtor factum & ſcriptum meum. Uxor, puer, ancilla, quantocyùs advocate medicum.

Cantus: Dæmon langvebat, melior tunc eſſe volebat
poſtquam convaluit, manſit ut ante fuit.

114. Accurrit Medicus, pulſum experitur: nihil hìc periculi eſt, reponit. Deliquio cauſam dederunt tumidi è ſtomacho aſcendentes vapores, quos ſpectrorum apprehenſio nimis violenter concitaverat. Detur

ipſi

ipsi quam primùm, lac asininum, radix Galgan, spiritus tartari, omnia simul distillata in cinere, & poterit hac adhuc horâ, vegetus utroque pede exultare. Stetit sanè promissis medicina, ut mox videbimus.

SCENA SEXTA.

115. D. Doctor, ut video, vegetus es, instar illius piscis apud Tobiam, *cœpit palpitare ante pedes ejus*, c. 6. v. 4. agilis es, instar illius blandimenti, *tunc præcucurrit canis & blandimentô sua caudæ gaudebat*, Tob. 11. v. 9. igitur subsultandum. Jam satis tristiæ datum: meditationes tuæ aliquantùm interrumpendæ: lætandum, ovandum exultandum est. Allegro! hilaris sis D. Doctor: melancholia nutrix diaboli est, prout expertus Saul, 1. R. c. 18. v. 11.

116. Saltum nobis exhibiturus es, ut Spectator præcedenti Scenâ paulò contristatus, lætiores sensus concipiat. Nec arbitreris, talia dedecere statum tuum, cùm etiam in Bibliis de saltibus legatur: Saltârunt Judæi in deserto circa *vitulum conflatilem*, Exodi 32 v. 5. *Saltârunt struthiones & pilosi*, Isa: c. 13. v. 21. *Saltavit filia Herodiadis*, Mat: 14. v. 6. Ne verò te pudeat, nec agnoscaris de facie ab hominibus, poteris instar larvæ adhibere

illum prætextum quem adducis Epiſtolâ 7. nimirum libertatem conſcientiæ. Porro ſaltus hic denotabit modos omnes, quibus, ſaltando nunc ad hoc, nunc ad illud, nunc ad iſtud, conaris errorem tuum defendere.

117. Doctor fingit, ſe nolle ſaltare, murmurat, ore, capite pedibusque titubat, ac ſi urſum ad ſaltum invitaret: exacerbat vultum, quaſi lagena acetô plena. Advertens nihilominus, Scenam hanc aliter peragi non poſſe, ſubſilire incipit.

Et auditur cantus: Quo pulſata fides, plectro reſonabit eodem,
Urſus ſi ſaltat, par quoque ſaltus erit.

118. Doctor Löscher citatis paſſibus circumcurſitat per theatrum, inſtar phrenetici; ſolas capite efformat vertigines: totum gyrat corpus in circulum continuò ingeminans, Ergo, Ergo, Ergo; vulpinâ caudâ expelli muſcas putares.

119. Quid hæc ſignificant? ſignificant modum ejus argumentandi adverſus Eccleſiam Romanam Epiſt. 3. & aliis: Eccleſia Romano-Catholica adhibet tempore Baptiſmi cæremonias humanas; Ergo ipſe Baptiſmus non eſt dicendus Sanctus. Eccleſia Romana præcipit ſub interminatione Anathematis, ut Ritus conſveti non contemnantur ſed obſer-

ſerventur : Ergo Ritus ſunt ipſe Baptismus & partes ejus eſſentiales. Eccleſia Romana docet, Baptismum conferre Gratiam ex opere operato : Ergo opera bona Baptizantis requiruntur ad valorem Baptismi. Eccleſia Romana docet effectum Baptismi eſſe deletionem peccati originalis, characterem indebilem : Ergo hæc omnia dicuntur Baptismus. Eccleſia Romana docet hominem in hac mortali vita non ſcire abſolutè certò & infallibiliter, ſe defacto vitã beatam aſſecuturum, ſed ſolùm ſub conditione, ſi ſervaverit mandata (juxta illud : *Neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta*, Eccle. c. 9. & 1. & 2. & ideo monet Paulus ad Philip. 2. v. 12. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem aperamini.*) Ergo Baptiſmus Catholicorum non eſt dicendus Sanctus. D. Doctor omnes hæ conſequentiæ ſunt non ad rem, & ſolæ capitis vertigines, ut oſtensum ſuperiùs. Sed ne vertiginoſus ſaltandi modus, cerebrum tuum penitus obruat, arripe alium faciliorem.

120. D. Doctor, imo, exhibe nobis *Florettam* : Doctor incedit lentiùs, trahendo pedes per pavimentum. Quid denotat hæc Floretta? Epiſtolâ ima reptat in pulvere

grammatico, formatque ubi accessum ad ulteriora, explicando inepte vocem hanc, *Sanctus*, & dividendo Sanctitatem in physicam, politicam, & Theologicam; tacitè intendens, Sanctitatem Baptismi Romano-Catholici ad 1mum aut 2dum genus Sanctitatis revocare.

121. Domine Doctor, fac nobis *Reprezam*: & mox trahendo pedes per pavimentum; celeriùs incedit. Quid significat hæc Repreza? Epistolâ 3tia velociorem videtur facere progressum, inquiens: *Ecclesia Romano-Catholica præter aquam & Verbum DEI, tam multos Ritus humanos, unctionem, exorcismum, characterem Indulgentias statuit pro partibus essentialibus Baptismi: Proinde (concludit ipse in Persona alterius, Epist. 4tâ) omnino concedendum est, Baptismum Catholicorum non debere dici Sanctum.* Quàm expedite D. Löscher totam expedivit difficultatem! in hac Repreza, Antecedens est mendacium, Consequentia delirium, ut satis amplè superiùs demonstratum.

Et hîc denuo resonat cantus:

Si occupat stiva manum,
pingere cupis in vanum:
cùm resonat rudis lyra,
Gallus saltet! res est mira:
Sit plebs vilis è mapali,
saltû pedem implet tali.

122. Do-

122. Doctor, forma nobis *Spacadam*. Doctor incedit, obliquando pedes antrorsum in formam crucis. Quid hoc? En Epistolâ 7. inquit: *etiam umbram mali avertere debemus, ac proinde Catholicorum Baptismum non appellare Sanctum, ne fortè rudiores existiment, nos vel in hoc puncto convenire cum Catholicis. Item appingemus Catholicis nugam & maculam* &c. O Doctor abi in malam crucem cum tua Spacada: hìc adeo cespitâsti ut in cænosum balneum incideris.

123. Doctor, circumplica te pedetentim in saltu, & fac nobis *Passadam*. Fecit id Epist. 5. ubi quasi retorquet Argumentum: *Catholici non concedunt Baptismum nostrum esse validum, Ergo & nos dicamus Illorum non esse Sanctum.* In hac Passade torquet se Doctor instar gladii Passaviensis. Sed & Antecedens est falsum, & Consequentiam non subsistere, ostendimus Scenâ 4ta.

124. Doctor, volve te in gyrum, & exhibe nobis *Zurlam*. Ita facit pag. 16. dicens: *Quamvis nostros ad suam Fidem accedentes videantur non rebaptizare Catholici, tamen superaddere solent veluti essentialia, quæ in nostro Baptismo omissa fuerant.* Hìc adeo fefellit vestigium, ut naso pavimentum attriveris, juxta dicta superiùs.

125. Doctor, subsultando effinge nobis Mezam. *Si Baptismum Catholicum appellaremus Sanctum (inquit ille) posset quis ansam accipere, successu temporis etiam Ecclesiam Catholicam dicendi Sanctam.* Et hoc insultu Caper iste in ipsos Ecclesiæ parietes impegit.

126. Tandem 7timo, ne molesti simus Spectatori, exhibe nobis duplicem simul regressum, *Recazadam* scilicet & *Retiradam.* Itaque 1mo, saltando abit retrorsum in modum lunæ, dicens Epist. 7. *Sed quidquid sit saltem illi, qui conscientiam & scrupulum habet, Baptismum Catholicorum appellare Sanctum, conscientiæ libertas adimi non poterit.* Expecta, subsiste, festina lentiùs cum tua *Recazada*, jam enim supinus in balneum laberis. 2do retrocedit, multifariam movendo dorsum, facitque *Retiradam*, dicens: *Posset etiam adhiberi distinctio inter Ratum & Sanctum: item distinctio est facienda inter concretum & abstractum.*

127. Et ecce universus populus effusissimè cachinnari incipit, exclamans, ratum, ratum, ratum habemus, Doctorem Löscher abesse N. N. Ad voces illas, *concretum abstractum*, omnes velant oculos: D. Doctor desiste jam, desine abrumpe quantociùs saltum,

tum; putant enim homines, ex nimia commotione, concretum apud te factum esse abstractum. Claudatur Proscenium.

SCENA SEPTIMA.

Proponuntur Symbola.

1mo adumbratur Symbolicè *Factum D. Lösher.* Gallinaceus in balneum incidens; alis & pedibus totiusque corporis nisu conatur in altum eluctari: sed frustra. Lemma subscriptum legitur: *Sed revocare gradum, superasq; evadere ad auras,*
hoc opus hic labor est. Virg. l. 6. Æneid.

2do. *Septem ejus Literæ.* Pinguntur 7. spicæ tenues & vento urēte percussæ Gen: 21. v. 6. Subscrip: *Deorsum radices ejus siccentur, sursum autem atteratur messis ejus.* Job. 18 v. 16. Item 7. funes disrupti Judicum c. 16. Subscrip: *rupit vincula quomodo quis filum de stupa.* v. 9. Item 7. boves crassæ Gen: 41. v. 4. Subscrip: *devoratæ sunt.*

3tio adumbrantur *tricæ utriusq; Doctoris,* Duæ scaphæ eidem littori alligatæ, ludentibus undis se mutuò succutiunt. Lemma: *Concordia discors.* Item pyrobolus cum terribili strepitu in sublime evolans, & mox evanescens. Lemma: *post fulgura tandem grande*

grande nihil. Item exarantur supra utriusque Doctoris scriptum solæ cyfræ. Inferiùs Subscrip: *Quanti hæc æstimanda, lege superiùs.*

4to Symbolicè exprimitur *præsens Comædia.* Sol sereno vultu universum illuminans. Lemma: *utilior, si rideat, orbi.* Duo in Insulis Fortunatis reperiuntur fontes (teste Pompolio Mela) unus bibentes ad ridendum vehementer provocat, alter risum temperat. Lemma: *Seria habes condita jocis.*

5to tandem adumbratur, *quicunque huic Opusculo malitiosè detraheret.* Forfices sartoriæ latent inter panni segmenta abscondita: levi brachio percutitur mensa, & forfices seipsas produnt. Lemma: *tenui produntur in ictu.*

EPILOGVS.

Finem Actioni & passioni imponimus: Spectator humanissime. Si cuipiam visum est, nos, vel jucunda, nimis seriò tractâsse, vel jucunditatis limites excessisse? condonet; nemo tamen arbitretur, adversus quempiam exorbitâsse. Quicunque enim sive insolens factum prædictorum hominum, sive insolitam adversus Sacro-Sanctum

ctum Baptisma temeritatem bene perpenderit, fateri debebit, hujusmodi auſus talem, imo triſtiorem Scenam promeruiſſe, Quodſi tamen tumultuarii Spiritus iſti, hoc levi brachio nondum emendati, componi ad quietem noluerint, aut novis in lucem editis ſpectris, vindictam quærere præſumpſerint, infallibiliter experientur, quàm graves, exorcizando, manus geram.